

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

CALLIMACHUS EXPERIENS

ATTILA

ACCEDUNT
OPUSCULA QUINTII AEMILIANI CIMBRIACI
AD ATILAM PERTINENTIA

EDIDIT
TIBERIUS KARDOS



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

CALLIMACHUS EXPERIENS

ATTILA

ACCEDUNT
OPUSCULA QUINTII AEMILIANI CIMBRIACI
AD ATILAM PERTINENTIA

EDIDIT
TIBERIUS KARDOS



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Jq. kot
114. 957



INTRODUCTIO.

*I. De vita operibusque Callimachi Experientis.*¹

Vita. Callimachus Experiens (Etruscus: Filippo Buonaccorsi, Philippus Buonaccursius) in oppido Sancto Gemignano die 2. mensis Mai anni 1437. natus est. Eum Florentiae studiis operam dedisse verisimile est; Venetias, mox exeunte regno Pii II. papae Romam Iulium Pomponium Laetum auditum profectus est, quo fratrem natu minorem sequebantur. Ibi in illa celeberrima Academia Callimachus summa industria erat, sed coniurationi contra Paulum II. papam factae se immiscuit, qua de causa fugere coactus est. Peragravit oras orientales maris interni: visitavit Siciliam, Cretam, Aegyptum, Rhodum, Cyprum, Chium, Constantinopolim, demum per Valachiam ad propinquum quendam nomine Arnulfum Thedaldium in Poloniam fugit, qui eum apud Gregorium Sanocensem archiepiscopum Leopolianum ei postea magnum patronum et verum amicum introduxit, cuius commendatu a. 1472. educator regulorum iuniorum Ioannis Alberti et Alexandri, a. autem 1474. iam consiliarius regis Poloniae familiarissimus

¹ De Callimacho (vita operibusque) haec opera maioris momenti scripta sunt: H. Zeissberg, Die polnische Geschichtschreibung des Mittelalters. Leipzig, 1873. — St. Windakiewicz, Sur les manuscrits contenant la poésie de Callimachus. (Extrait du Bulletin international de l'Académie des Sciences de Cracovie.) 1890. — *Idem*, Les épigrammes romaines de Callimache. Ibidem, 1918. — G. Uzielli, Filippo Buonaccorsi „Callimaco Esperiente“ di San Gimignano. Miscellanea Storica della Valdelsa. 1898. p. 116. — L. Calvelli, Un umanista italiano in Polonia, Ibidem, 1915., p. 45. — G. Dalla Santa, Di Callimaco Esperiente (Filippo Buonaccorsi) in Polonia e di una sua proposta alla Repubblica di Venezia nel 1495. R. Deput. Veneta di Storia Patria. 1916. Nuovo Archivio Veneto, Nuova Serie, Anno XIII. Tom. XXVI. Parte I., p. 146. — M. A. Kulczyczka, Filippo Buonaccorsi Callimaco, un umanista italiano alla corte dei re di Polonia. (Extrait du Bulletin international de l'Académie des Sciences de Cracovie.) 1921. — I. Ptasnik, Kultura włoska wieków średnich w Polsce. Warszawa, 1912. Instytut Wydawniczy „Biblioteka Polska“. Pag. 138. et sqq. — R. Pilat, Historia literatury Polskiej. Tom. I. Warszawa, 1926., p. 58—62., 123. et sqq. (Cum profusissima bibliographia ad Callimachum.) — I. Huszti, Callimachus Experiens költeményei Mátyás királyhoz. Budapest. (Magyar Tudományos Akadémia.) 1927. — T. Kardos, Callimachus. Tanulmány Mátyás király államrezonjáról. Budapest, 1931. Minerva-Könyvtár, XXXVI. — Transductio Polonica: Historia spraw Atyli króla węgierskiego. Cyprian Bazylík tłumaczył. Kraków. MDLXXIV.

factus est. Proximo anno legatus Constantinopolim profectus est; a. 1478. a rege Polono ad papam missus tunc primum contra Mathiam regem Hungarorum legationem suscepit. Cognovit Callimachus periculum, quod Poloniae crescente paulatim Mathiae regis imperio minatum est; proximis autem duodecim annis continenter cum rege Hungariae certabat. A. 1479. libellum, quem ille Monumentum nominavit, contra pacem cum rege Hungariae faciendam scripsit; a. 1482. foedus inter Austriam et Poloniam contra Mathiam regem faciendum praeparavit, Mathias rex autem Polonos pacem petere coegit. Ipse Callimachus a. 1483. legatus in Hungariam profectus est: pacifice conabatur regem Hungarorum consilio avertere, qua de causa ibi nonnulla carmina scripsit, paulo post autem re infecta reversus est. Multo maioris momenti est haec legatio, quod ad litteraturam attinet. Nam Callimachus exemplo Mathiae regis et eorum, qui circa eum erant, tractus deinde philosophiae studendae operam dedit, sodalibus Academiae Platonicae Florentinae coniunctus est et societatem, cuius sodales studia humanitatis profiterentur, statuebat. Post reditum in Poloniam a. 1483—88. scripsit opus egregium, quod Historia Wladislai III. Polonorum et Hungarorum regis inscribitur, repugnans contra foedus Polonico-Hungaricum. A. 1486. in aula Austriaca et Venetiis moratus est, ut foedus Austriaco-Polonico-Venetum contra Mathiam regem faceret. Qua de causa, cum Venetiis reverteretur, scripsit opusculum Attila nominatum. A. 1489. idem foedus perficere conatus est, paulo post apud papam Innocentium VIII. versatus est, qui ducem belli crucigerorum heredem Ioannem Albertum eligeret. Mors Mathiae regis (die 6. mensis Aprilis a. 1490.) finem certaminum inter eos fecit. Eodem anno Ioannem Albertum regnum Hungariae appetentem in Hungariam comitatus est et eodem rege Poloniae creato auctoritas Callimachi magnopere aucta est, cum intelligeret advenisse tandem tempus, quo regnum legitimum in absolutum dominium, id est absolutismum conformaretur. Ideo scripsit a. 1492. Consilium, in quo sententiam suam iam a. 1478. in Monumento et postea in Attila aliquam partem explicatam elaboravit et in ultimam formam redegit. Quam rationem etiam exsequi voluit, sed Polonis mox invisus factus est. Kalendis Novembribus a. 1496. ignoto morbo morte subitanea periit.

Opera. — Attila. — Carmina. — Consilium. — Consilium non ineundae societatis cum Italis. — De his, quae a Venetis tentata sunt, Persis ac Tartaris contra Turcos movendis. — De vita et moribus Gregorii Sanocensis. — Epistolae. — Historia Wladislai III. Polonorum et Hungarorum regis. — In synodo episcoporum de contributione cleri oratio. — Monumentum ad Derslaum de Ritvani. — Monumentum ad Sbi-

gneum de Olesznica contra pacem faciendum cum rege Hungariae. — Oratio de bello Turcis inferendo. — Praefatio in somnarium Leonis Tusci. — Quaestio de daemone. — Quaestio de peccato. — Vita et mores Sbignei cardinalis.

II. De codicibus et editionibus Attilae.

Callimachus opus, quod Attila inscribitur, in Italiam amicis transmisit, ubi Cimbriacus opusculis a nobis in Appendice collocatis primum a. 1489. edidit. (Ed. 1. — *i*) — Quia Cimbriacus Attilam Maximiliano Romanorum regi quoque dedicavit, et illum codice manu scripto donatum putamus. — Attila octies, opuscula Cimbriaci semel in lucem prodierunt. Editionem principem littera *i*, ceteras omnes, quia una post alteram excudebantur et tantum mendis typographorum inter se differunt, littera *e* signavimus.² — Editiones *e* affinitatem codice *B* habent.

a) Codices.

M — Mutina. Bibliotheca Estensis. No. α . Q. 9. 7. Membran. Saec. XV. — Codice continentur: App. 1. (5v); App. 2. (4r—9r); App. 3. (9v); Attila (10r—25v); App. 5. (26r). — App. 4. codice deest.

V — Vindobona. Bibl. Nationalis. Lat. 3522. Chartac. Saec. XV. — Codex olim in bibliotheca Ioannis Faber archiepiscopi Vindobonensis inscriptus est. — Codex continet: App. 1. (1r—v); App. 2. (1v—5v); App. 3. (5v—6r); Attilam (6r—18r); App. 4. (18r—v); App. 5. (18v). — Codex copiosissimus opusculorum Cimbriaci.

B — Budapest. Museum Nationale Hungaricum. Cod. Lat. Med. Aevi 368. Chartac. Saec. XV. — Continet complura opera Callimachi. — Codex in Museo ab anno 1904. asservatur. — Continet Attilam (1r—20r).

b) Editiones.

i — 1. Incunabulum³ (sine loco et anno) Portunavoniae aut Tarvisii a 1489. in lucem prodisse creditur, quod admodum rarum Venetiis in Bibliotheca Nationali Marciana (Inc. 803.) invenitur. 4-o. Constat foliis 16 non numeratis. Titulus deest. Fol. 1r vacuum. App. 1. (1v) App. 2. (2r—5r) — App. 3. (5v) — Attila (6r—15v) — App. 4. (15v) — App. 5. (16r). Editionem ipse Cimbriacus prelo mandavit.

² Nos praecipue editionem 6. fundamento posuimus.

³ L. Hain (Repertorium Bibliographicum) incunabulum non memorat. — V. I. G. Th. Graesse, Trésor de livres rares et précieux. Dresde, II, 1861., p. 18.; I.-C. Brunet, Manuel du libraire e de l'amateur de livres. T. I. Berlin, 1922. (ed. V.), col. 1482.

e — 2. P. Callimachi Experientis Attila. Accedit ad Conradi Veceri regii secretarii de seditionibus Siciliae historiam et eiusdem de rebus gestis imperatoris Henrici VII. libellum. Hagenoae, per Ioannem Secerum. A. MDXXXI. 4-o. Editio paginis non numeratis. — 3. Idem, ac ed. 2. Basileae MDXLI., pag. 330—58. — 4. P. Callimachi Experientis Attila. Accedit ad Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades tres. Industria Martini Brenneri. Basileae, ex Roberti Winter officina, MDXLIII. 2-o. Editio paginis non numeratis. — 5. Idem accedit ad eundem. Ioannis Sambuci opera ac studio. Basileae, ex officina Oporiniana, a. MDLXVIII. 2-o. Pag. 856—65. — 6. Idem accedit ad eundem. Per Ioannem Sambucum. Francofurti, apud Andream Wechelum a. MDLXXXI. 2-o. Pag. 853—62. — 7. Idem accedit ad eundem. Per Ioannem Sambucum. Hanoviae, apud Claudium Marnium, a. MDCVI. 2-o. Pag. 853—62. — 8. Idem ad eundem per eundem. Coloniae Agrippinae, a. MDCLXXX. 2-o. Pag. 630—36.

CALLIMACHUS EXPERIENS

ATTILA

Gothos sive agri inopia domi laborantes, sive benigniorem caelo terraque patriam quaerentes Berith duce ingenti multitudine originum suarum insulis advectos excepit prius id litus Germanici Oceani, cui hodie quoque nomen Gothiscantia. Qua regione etiam postea improbata sub Filmiro quinto a Berith rege pulsus indigenis Ulmerigorum terras occupavere. Deinde viribus animisque adauctis ceteras paene omnes terrarum orbis partes varia bellorum fortuna eventaque pervagati, cum interim alii atque alii iugi successione apud eos regnarent, tandem versi in Pontum inter Bice paludem et Borysthenis ostia sedem cum cepissent, ad suorum ducum nomina suum accommodantes, qui propinquiora flumini tenere, Vissogothos, ceteri Ostrogothos se appellavere; unius tamen eiusdem regis nutum omnes intuentes inde subiectis sibi Vandalis, Marcomanis Quadorumque nomine universo circumtulere arma ad septentrionem. Quo tempore summa imperii eorum erat penes Emericum Amalum, quem plerique laudibus Alexandri Magni adaequandum putant gloria rerum gestarum domitis subiectisque ductu auspiciisque ipsius Herulis, Roxolanis, Venetis, Hestorumque populis cum nationibus ceteris usque ad Glacialem Oceanum. Eam gerendorum bellorum audaciam ac felicitatem sic undique a Gothis ingenti nominis sui terrore circumactam, — florentibus tum maxime Emerici rebus, — provocatam post multa certamina vicissim adverso prosperoque eventu commissa submovere procul a Bice Pontique litoribus tenuereque aliquandiu sub imperio Hunni. De quibus tradita ab auctoribus summam repetam, quo vita moribusque et bellis Attilae eorum quarti a transitu in Europam regis explicandis, si qua humanae virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relatae ad deos originis argumento fidem accipiant.

Scribunt plerique Filmirum Gothorum regem, sed rerum antiquarum peritiores memoriae proditum reliquere Idantirum exercitu lustrato nonnullas feminas (alinurnas Scythae vocant) ultra communem aliarum speciem corpore atque indole augustas Scytharum castris exclusisse easque subinde in solitudine trans Maeotidem in Asia agitantes a Faunis et Satyris compressas Hunnos genuisse. Quorum mox soboles tam fecundo eventu propagata est, ut credi par foret deorum quoque cuiuspiam ad id operam accessisse.

Sic geniti, sic propagati nullius usquam divinae aut humanae rei commercio cum alio quopiam genere hominum habito diu natalia loca ab omnibus lingua, victu, habitu, moribus discrepantes incoluere sine ullis aedificiis sub divo passim et tantum ferarum pellibus adversus caeli terraeque rigorem ac tempestatum circumtecti magis, quam amicti sine ulla inter se cultus iactatione. Caputum tegumenta galericuli incurvi informesque ac multo informiores ex libro calcei sub haedinis pellibus crurum involucris. Sed nec ullo coleandi agri serendarumve frugum usu cognito venatum palustriumque harundinum radices, quas regio praedulces fert, pro cibo habuere et eum quidem neque coctum neque saporibus irritamentisve luxuriae adulteratum, sed aut in sole, aut sub alis calefactum.

Non religio apud eos numinisve ullius vel metus, vel reverentia. Corpora hirsuta, facies terribilis ac minax desaeventibus in filios parentibus ipso natali die marium scilicet omnium genas candenti ferro insecando et ante primam alimoniam vulnerum patientiam incutiendo, ex quo sine formae venustate imberbos fere semper cicatricosa et sulcata cute tempestivam pilorum gratiam non admittente. Ceterum ad robur valetudinemque cum agilitate admiranda tanta sitis, inediae, frigoris ceterarumque humanarum necessitatum tolerantia, ut vel exinde divini in eis seminis origo argueretur. Argenti aut auri nec usus nec possessio, vilium ac promiscuorum commercia permutatione exercentibus divitiae et solae et gratae in armentis maxime equorum, quibus insidere iam tum a pueritia honesta meditatione insuescentes facile postea nationes ceteras obeundis equestri disciplina proeliis superaverunt. Ingenium par corpori ferox, intractabile, iracundum, sed per se defervens, novarum rerum studiosum ac praedae immodice cupidum.

Paulatim deinde aut domi excogitata, aut peregre accepta linificii ratione paulo humaniori habitu sese excoluere. Religio quoque incessit animos suscepta Iovis, Venæris, Mercurii, sed in primis Martis veneratione, quorum deorum a Scythis mysteria cum accepissent, etiam Scythicis nominibus appellabant. Sed et praedae studio grassantes in gentes alias, ut quaeque proximior erat minus valida. Et a saxis fustibusque vel duratis igne vel cornibus exasperatis, quae tela a principio illis fuere ad notitiam prius armorum. deinde etiam ad usum pervenire arcuumque in primis, in quibus tantum studium exercenda iuventute impendere, ut eos quoque ipsos, a quibus sagittandi peritiam accepissent, brevi antecellerent. Iam tum frequentibus incursionibus rapinisque gladiatorum etiorum loricarum ingentem numerum adepti iuventutis suae maiorem partem prope iustis armis ad Scytharum speciem armaverant.

Cum Baudetes post regiam stirpem primae apud eum no-

bilitatis venandi studio cervam insequens sic ante se fugientem, ut lassitudini mox cessura videretur, non prius sequi abstinit, quam superata Maeotide se velut in orbem alium elapsum vidit. Cum itaque cerva, quam oculis pedibusque subsecutus usque ad paludis extrema progredientem, nusquam apparet in campis undique longe lateque patentibus, venerabunde speciemque et situm locorum miratus, simul adoratis diis, in quorum tutela regio foret, nec dubius secum numinis alicuius ductu se illuc usque pervenisse retro ad suos servatis vestigiis cum gratulatione reversus omnia, ut acta erant, et quae vidisset, exponit. Quibus auditis, qui ad id locorum paludem imperviam crediderant, erectis in spem laetioris fortunae animis, tum vero cupiditate intuendi ea, quae a Baudete contra, ac prius opinabantur, audiebant, tum multuario consensu Velambro regi suo prope necessitatem illuc movendi imposuere. Non prius tamen mota sunt castra, quam qui exploratum missi haud difficillimi laboris rem fore transitum retulerant tentataeque in eventum sortes felicem faustamque migrationem portenderant.

Superata igitur Maeotide duce Baudete positisque in Europa castris primum impetum vertere in Sarmatas paludis extrema sub ostium Tanais accolentes. Quos improvisos et nihil minus, quam bellum cogitantes adorti facili negotio superavere direptisque ipsorum curribus et magna iumentorum praeda abacta. Captivis subinde armis, quicquid militaris aetatis inerme inter suos adhuc supererat, armavere. Crevit, ut fit, animus a re bene gesta victoribus et multiplicata arma etiam fiduciam augebant. Itaque per mediterranea in Daciam Moesiamque declinantes cum Gepidis et Alanis pari, atque cum Sarmatis, felicitate pugnare hostibus non tam armis cedentibus, quam novum trucemque pugnantium aspectum non sustinentibus.

Difficilior res cum Gothis fuit exercitatis omnium fere gentium bellis et victoriarum numero ac magnitudine tum insignibus, tum supra, quam ut vinci se posse crederent, elatis. Nam licet primus congressus Hunno ex sententia cessisset, propter militarem seditionem apud Gothos ab Saro atque Annio inter primores gentis opibus atque auctoritate praepotentibus contra Emericum regem suum excitatam in ultionem coniugum suarum, quas, velut ad dominatum viros incitarent, paucis ante diebus iussu regio equi caudis suis alligatas non minus foede, quam crudeliter in partes laceraverant. Qua occasione servata cum rex non minus senio, quippe quod vigesimum supra centesimum annum ageret, quam vulnere, quod eo in tumultu acceperat, confectus occubisset, facile Hunni victores evasere pulsus Gothis ad interiora Sarmatiae, qua maxime in septentrionem porrigitur. Sed Vinitarius Emerici fratruelis suorum reliquiis collectis implora-

tisque a Vitulfo avo suo auxiliis mox tanta felicitate bis adversus victores copias eduxit, ut maximam gentis partem deleverit. Tertio proelio in ipso congressu sagitta transverberatus interiens non eius tantum certaminis, sed belli etiam totius victoriam Hunnis reliquit, suis vero parendi necessitatem. Nam exinde Gothi Hunno paruere.

Inter initia gerendarum rerum contra Gothos Mundruth, 26 qui et Mazuchus dictus, mortuo Velambro successerat in regno. Post quem, licet Attilam Bledamque filios reliquisset, 27 tamen, quia propter aetatem adhuc teneram principatui gerendo impares videbantur. Hunni suarum rerum summam detulere ad Hoctarem et Rugilam Mazuchi fratres, quorum ductu et auspiciis multa et praeclara gesserunt, inter quae memorantur in primis duae in Burgundios expeditiones propter utriusque gentis maxime insignes clades. Quandoquidem 28 Burgundii priore bello multis certaminibus re male gesta, ubi rursus contra se Hunnum movisse senserunt, ad divinam opem confugere Christianisque mysteriis initiati magno proelio fusos hostes caesosque finibus suis exturbavere.

Hoctari et Rugilae successere Attila et Bleda statimque 29 a principio dominatus vertere arma in Gepidas frustra saepe ab Hoctare et Rugila tentatos. Sed affuit coeptis fortuna, quippe quod supra spem consurgendi rursus ad arma primo certamine caesi in deditionem venere Attilae, qui ceteras subinde Sarmaticas nationes haud magno negotio sibi subiecit. Ea dum gererentur, Vissogothi ferentes indigne Hunnorum 30 imperium Daciam Moesiamque utramque incolendas a Valente imperatore Romano impetraverant, quibus persequendis cum pararet Attila expeditionem, Bleda interiit. Et quia mors eius subita, vulgatum est veneno a fratre necatum, ut aut socium regni aut aemulum submoveret. Persolutis itaque 31 more apparatusque regio iustis Bledae Attila in Vissogothos movit eictosque Moesia et subinde Dacia in Pannoniam subsecutus est, unde fusos caesosque multis et magnis certaminibus tandem commigrare in Gallias coegit. Ipse vero victoria elatus in Thraciam et Macedoniam transcendit penetravitque usque ad Achaeos ad Aegaeum mare.

Quae res compulit Marcianum, qui orientale tenebat 32 imperium, cum Persis et Vandalis, qui in Asiam se receperant, pacem firmare; volebat enim stabilitis trans Hellespontum rebus Hunno occurrere. Sed Attila seu affuturi Marciani cum 33 ingentibus copiis fama motus, seu territus ostento, quod sereno et tranquillo caelo nemine impellente tabernaculum ipsius corruit, cum renuntiaretur pacatam esse Asiam Marcianumque Constantinopolim properare, converso agmine rediit in Pannoniam ibique sedem suam ponere constituit; simul loco- 34 rum captus amoenitate. simul perspecta opportunitate retinendis sub ditione sua nationibus, quas devicerat, quod velut in

cervice illarum positus omnem tumultuandi facultatem omnibus adepturus appareret, nec minus magnis et frequentibus fluminibus undique circumsaepa regione a subitis quorumcunque incursionibus tutum se credebat. Sed et cogitationis suae exitum per sortes exploranti felicia omnia et stabilia obvenerant.

Captis igitur descriptisque locis, per quae gentibus suis distributis regionem munitam clausamque insultibus externis redderet, aliquantulum temporis stabiliendis rebus ac regno suo tum scribendis legibus, quibus agitarent inter se, absumpsit. Putabat enim conscriptis legibus homines fieri meliores, cum intuerentur quotidie, quae benemerentibus de communi utilitate proposita essent praemia et quae flagitiis poena immineret. Ceterum principem vivam esse legem, in qua laxamentum aliquod et vitiorum virtutumque pro conditione rerum atque temporum compensatio. Mox domi et quaecunque a Pannonia in boream et subsolanum Europa porrigitur, pacata omnia et firma sibi cum intueretur, reputans sibi Gothorum in Italia et Gallia successus ad occidentale imperium animum adiecit.

Erat enim gloriae ac bellorum praecipuus, quibus gerendis tantundem consilii adhibebat, quantum studii suscipiendis; et cum manu strenuus foret, non minus erat temperatus. Ceterum supplicibus prope ad mollitiem facilis et qui in fidem semel receptos in perniciem usque suam tueretur. Moliendis efficiendisque rebus mira in eo tum dexteritas, tum velocitas et multo admirabilior subeundis periculis constantia. Sed ut clementis animi in deditos, ita inexorabilis in devictos. Vestitu quam splendidissimo utebatur; putabatque id ad maiestatem pertinere. Inter prandendum raro sedit, in cena profusus erat cibumque avidissime conficiebat. Ceterum carne plurima se farciens a pane paene abstinuit, ut qui inepti et pauci succi alendis corporibus eum arbitraretur. Vino immo dice cum indulgeret in otio, semper tamen sibi ipsi constabat. Religioni vero persuasionibusque de diis a gente sua susceptis usque ad superstitionem addictus. Dicebatque nullo sacrificio sanctius deos piari, quam si iuste ac benefice inter homines agitaretur. Incitabat autem exemplo suos ad ceteras virtutes, tum maxime ad temperantiam in bellicis expeditionibus, cum plerumque aqua et plebeia pulte contentus in publico pranderet existimans eam tolerantiam humanarum necessitatum, quae obsidendis expugnandisque urbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria, nulla re magis impediti frangique posse, quam delicatioris victus consuetudine. Pecunias veteri maiorum suorum instituto prope contempnebat; auditusque est saepe, cum diceret plus esse molestiae in earum amissione, quam in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tirones exercendos minime necessa-

rias arbitrabatur suo quemque periculo satis ex tempore inferendis propulsandisque vulneribus erudiente. Statura corporis 48 fuit infra mediocrem pectore ac toris supra staturam sese in robur efferentibus. Capite autem maiusculo aut erat aut 49 apparebat ex oculorum orbibus ad Sarmatarum speciem parvis. Barba illi rara admodum et iam tum raris aspersa canis: at color, qui eius agreste originis genus indicaret. Sermo 50 horridus ac minax et pronuntiationem propter barbaram auri- bus gravis. Incessus quoque adeo gestuosus et compositus, ut vel exinde superbissimi animi contraxerit infamiam. Accede- 51 bat vero ad naturalem audaciam periculorumque contemptum Martis gladius, quo accinctus supra humanae spei modum securus certaminibus se inserebat. Ferunt Scytham ex media 52 plebe, cum res ab Hunnis contra Gothos ad Bicem paludem gererentur, cruentum vitulae vestigium retro insecutum invenisse gladium temere in campo iacentem moxque ad Attilam detulisse; cum ille per quietem armari se a Marte vidisset, itaque plane creditum ab Attila destinatum sibi divinitus eum gladium veluti subigendi a se orbis terrarum et pignus et subsidium.

Adiectis igitur ad suos, quam potuit, numerosissimis copiis 53 ex Marcomanis, Quadis, Suevis, Herulis, Turcilingis, Rugiis, quas omnes nationes iam pridem dicto habebat audientes, una cum Harderico Gepidarum et Valamiro Ostrogothorum regibus necnon Diectimaro et Victimaro regulis quingentorum milium explevit exercitum. In qua multitudine pauci pro 54 numero pedites erant; impellendis enim conturbandisque adversis aciebus efficacissimum semper putavit Attila equorum impetum humana insidentis ratione directum. Ceterum ut, 55 quod viribus facile posse credebat, consilio ac sine periculo assequeretur, praemisit legatos Romam ad Valentinianum, qui benigne eum alloquentes nuntiarent se bello accingi contra Theodoricum, qui Vissogothis in Gallia praeerat; instituisse delere gentem publicae omnium gentium pacis perturbatricem; nihil sibi rei cum Romanis esse, et viros eos fortes ac bonos credere, quorum imperium et late pateret et aequissimo a subditis ferretur animo; pollicerentur etiam, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis foedus atque amicitiam viresque et consilia communicaturum, quorumcunque res aut discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis 56 instructam legationem ad Theodoricum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens facilius utrumque superaret.

Transmisso deinde Danubio per mediam fere Germaniam in Rhenum se convertit tam severa disciplina militem 57 coercendo in gratiam nationum, quibus illic imperitabat, ut neque libidinis neque avaritiae tam diversarum gentium tantus exercitus vestigium post se relinqueret a principio, postea divina et humana omnia, quaecunque progrediebatur,

diripuit. Pacato enim agmine in Galliam properaturum converterant in se pleraeque nationes non solum negando commeatum, verum etiam transitum arcendo, ut paludium silvarumve aut fluviorum opportunitates retinendi eum spem faciebant.

Senserat Valentinianus astu se peti et, ut conatus Attilae illic retunderentur, misit in Galliam Etium patricium, qui, ut erat vir non minus civilium artium quam bellorum peritus, agendo suadendoque attraxit nationes Gallicas, ut secum adversus tam terribilis hostis impetum progredierentur. Itaque convenere ad eum Lutetiani, Armorici, Saxones, Riparoli, Brictones, Lambriones, tum Francorum rex Meroveus et Alanorum Sangibalus. Vissogothum etiam moverat non minus timor hostis, a quo vinci consueverat, quam Etii suasiones, ut percusso cum Romanis foedere socias copias adversus Attilam educeret.

Bis eo anno luna defecerat et frequens terrae motus urbes etiam nonnullas paene totas everterat. Et cum crinita stella noctibus aliquot ad occidentem apparuisset, visum est coelum patefieri veluti sanguineo hiato plurimis hastis igneo splendore perlucidis hiatum per transversum intersecantibus; quae ostenta populorum animos religiosa formidine complebant. Itaque quo plus discriminis velut divinitus significabatur, eo diligentius Theodoricus atque Etius circumspiciebant praeparabantque omnia adversus Attilam, qui, ut terrore sui Gallorum in se animos a Romanis Vissogothisque averteret, diripiendo incendiandoque vicos atque oppida quaecumque obvia transgressus Rhenum cum Gundicario Burgundiorum regi, priusquam Etio et Theodorico se cum suis adiungeret, vitam simul ac copias ademisset.

Pervenerat iam ad Catalaunicos campos, qui et Mauriaci vocantur. Quo in loco cum adesset ex adverso hostis tot fortissimarum nationum auxilio instructus appareretque ad id perventum esse discrimen, in quo non unius tantummodo proelii, sed totius belli fortuna periclitaretur, Attila de victoria exta consulens comperit se quidem pugna inferiorem futurum, sed eum, qui summus erat in hostili acie, casurum. Itaque converso in Etium animo, cuius virtutem atque ingenium coeptis suis maxime obstaturum sentiebat, etiam cum suorum clade pugnare constituit. Non tamen prius, licet hostis explicatis ordinibus pugnam exposceret, suos in aciem eduxit, quam sol vergeret ad occasum, ut, si vinci contingeret, nox proelium dirimeret. Secutusque est consilium eventus in eo, nam nox quidem animoque et viribus magnis accensus proelium diremit. Ceterum non Etius, sed Theodoricus interiit. Parum tamen praesidii fuis fugientibusque Hunnis fuisset in nocte, nisi se ad castra curribus obvallata recepissent: tanto enim ardore a victoribus ubique caedebantur, ut actum esset de Attila, si aut abesse munitiones

longius contigisset, aut aggredi et demoliri noctu sine oppugnantium confusione potuissent.

Tradunt quidam supra centum septuaginta milia ea in pugna caesa. Alii a numero exprimendo abstinere, sed augenda caedis specie scribunt rivulum, qua modice inclinant campi, allabentem occisorum sanguine auctum saxa etiam et cadavera evolvisse. Sed ut vincientium maior numerus fuerit armisque et militaribus artibus instructor, nihil magis ad victoriam fecisse creditum, quam quod Attila, ubi suos ad fugam inclinatos vidit, veluti fato cedens proelium deseruit.

Postridie cum Thurismundus Theodorici filius simul dolore amissi patris, simul victoria iuvenilem animum stimulante castra oppugnaturus copias admoveret, Attila, qui, ubi ad arma discurrere coeptum, maiorem longe, quam putarat, suorum stragem factam animadverteret, equorum stratis in cumulum congestis ingentem veluti pyram excitavit, cui supposito igne se super iniiceret, si castra capi contigisset, ne tot tantarumque gentium et nationum victor in potestatem eorum, quibus ultro bellum inferebat, vivus veniret. Tubis vero in portis cani praecepit, ut eruptionis expectatione hostem eluderet. Ceterum Etius forsitan non reprehendenda, sed parum felici suspitione veritus, ne deleta Hunno Romanis deinde difficilior res foret adversus Vissogothos, Thurismundum ab instituto avertit proposito ei consilio paternum regnum, antequam frater suus Valamirus communire illic se posset, praecipuam. Qua monitione percitus iuvenis cum suorum reliquias secum trahens ad eam partem Galliae, quam pater habuerat, citatissimo itinere properasset, Attila nova spe erectus solenne sacrificium Marti celebravit vovitque in annos singulos rogansque et veniam petens, ut, quae bella gesturus erat, propitio et volente ipso ex animi sui sententia transigi contingeret.

Moxque in Tungros movit, quorum metropoli expugnata promiscue in omnem sexum aetatemque desaevis ad unum omnes delevit, quia, cum praemisisset, qui deditonem peterent, non impetraverant. Nihil aequae admiratum eum ferunt a principio, quam tormenta bellica, quibus grandiores lapides excutiuntur. Nam qui ad id locorum missilia nulla nosceret, praeterquam quae altera manu tractari mittique possent, ubi vidit ingentibus saxis viresque humanas excedentibus non singulos milites, sed fere totos saepe manipulos sterni, cum terrore admirabatur. Et utcunque divina ope seu humano torquerentur ingenio, detestabatur, quasi iniustum genus auxilii saxa vastiora, quam ut unum corpus, aut ferret aut mitteret, mox tamen illis assuevit; nec expugnandis modo urbibus, sed campestribus etiam certaminibus plerumque adhibuit. Profectus ex Tungris Trecae venit, ubi Lupus episcopus sacerdotibus omnibus comitantibus cum sacris in solenniori

apparatu et caerimonia ad mille passus obviam progressus venerabunde per frenum equi arreptum suis ad vim armatis instructisque eum sequentibus in civitatem perduxit et tam pacato omni silentio per portam alteram eduxit, ut tenerit fama captos tantisper luminibus, dum praeterirent, non urbem, non circumfusum ad spectaculum populum animadvertentes per vastam solitudinem traduci existimasse.

Dimissus a Lupo paulo post assecutus est in via ple-⁷⁹rosque, qui civitatis direptionem timentes cum liberis et rebus carioribus ad silvas properabant. Inter quos mulier fuit, quae⁸⁰ decem filiarum mater iuniorem, quae bima erat, linteolo ad collum suum alligatam asportabat stimulans simul iumentum, cui ex reliquis teneriores duas superposuerat subsequenter adultioribus ceteris non tantum forma, sed quadam etiam inter se similitudine insignes, quae armatorum superventientium terrore exanimes matri se circumfuderant. At illa iam pri-⁸¹dem suorum patriaeque casu, quam captam eversamque putabat, afflicta, tum vero ad praesentem fortunam exanguis et vix animi compos omnia calamitosa et foeda de se ac liberis animo sibi praefigurans in flumen, cuius in ripa substiterat, praecipitem se datura videbatur, cum, qui circumstiterant, admirati indolem ac numerum filiarum ab omni abstinentes iniuria ad Attilam perducunt. Movit suapte natura mitem⁸² regis animum etiam saevissimis animis spectaculum miserabile, cum mater et, quae per aetatem mala sua sentiebant, filiae pedibus eius affusae lachrymis et vocibus, quas inter desiderium et taedium vitae dolor metusque suggerebat, misericordiam captarent. Itaque clementer matrem elevans bono⁸³ animo esse iussit a se quidem ac suis inviolatam fore. Moxque⁸⁴ data ei non mediocri pecunia, ut exinde quoque animi eius sensus in tam naturae raro, fortunae vero miserabili exemplo indicaretur, ad filias matri liberatas adiecit etiam alios, qui una fugiebant et, quo vellent, omnes redire permisit.

Interea cum Thurismundus compositis rebus suis domi⁸⁵ Romanis iterum se coniungere pararet, Attila novas copias ad veteres adiecturus rediit in Pannoniam. Et paulo post,⁸⁶ ne otium detrectandi obsequium materiam curamque suggereret militibus, quorum animos labore ac periculis tractabiles mansuetosque reddi compererat, tum rei male gestae in Gallia pudore stimulante viribus et copiarum numero longe, quam prius, validiorem exercitum ducens per Noricos et Rhaetos, licet aspera pleraque et salebrosa vel praecaltis obsessa silvis praedicerentur, in Italiam se convertit irae ac minarum plenus, quasi Galliarum victoriam ex manibus sibi Etius eripuisset. Putabat enim non tam facile Vissogothos⁸⁷ Romano in Italia affuturos, quam ille Vissogothis affuisset in Gallia, eoque haud magno discrimine Italia potiri posse, qua

sub imperium transmissa ceteras subinde nationes aut felicitati et gloriae suae aut viribus succubituras. Non desunt, qui scribant Bledam fuisse in Gallia cum fratre sublatumque de medio.

Cum progrediretur Attila postea contra Italos, ad quam expeditionem paratus equum cum ascendisset, corvus ab ortu solis advolans dextrum ipsius humerum prope insedit statimque sublime petens paulatim sic elatus est, ut tandem visum effugeret, quo omine supra modum laetus fidensque moverat. Ceterum inter progrediendum angustae ac frequenter praeruptae viae vix aliquando ternos armatos accipiebant campestribusque itineribus assuetos taediosa progrediendi mora per impedita montium iuga adeo afflictos habebat, ut convertendi agmen iraque et taedium saepe impetum suggererent seditiosis vocibus, ut cuiusque fortuna erat, inter milites erumpentibus. Sed Attila, ut erat difficultatibus interritus, ubi desperatio maior emereret, accurrens docebat ad finem simul montium laborumque peragratis Noricis ac Rhaetis pervenisse; iam inde Italiam conspici, parvo impendio sui illuc perventuros, ubi essent terrarum orbem victoriae praemium habituri. Mox tamen cum renuntiaretur Valentiniani Augusti copias in ipso Italiae aditu angustias insedissee transitu eum prohibitoras, convertit se in Illyricum ac Dalmatiam et Tragurium. Sibinicum, Belgradum, Iadram, Segnam, Polam, Parentium, Aemoniam expugnavit ac diripuit. Versusque iterum in Italiam occurrentem sibi Romanorum exercitum haud procul a Tergestino sinu non vicit modo, sed etiam prope delevit.

Et tandem per Carnos illapsus in Forum Iulii Aquileiam tam obstinato capiendi animo aggressus est, quod, cum expugnare impetu primo non potuisset, triennium obsidere perseveraverit. Erat maior obsidentium numerus, quam ut tam diu una in regione ali posset, cogeanturque tam homines, quam iumenta insolitis vesci alimentis, quae res diversa morborum genera in corporibus excitabat vulgabatque. Et cum obsessi etiam frumenti inopia laborarent, hos non fames modo, sed valetudo etiam adversa desperatioque et taedium victoriae supra humanam tolerantiam vexabat.

Et iam prope tumultum et seditionem res erat indignantibus vociferantibusque militibus: Minime ferendum se bellicosarum omnium nationum domitores in cursu victoriae suae circa unius urbis moenia cum foveis turribusque et lapidibus pugnando consenescere, ubi neque praemium, neque gloria laboribus ac periculis par foret. Si, quantum posset, adversus inanima, vulneribus et ferro impervia hominum victor exercitus experiri placeret, duceretur saltem ad urbem Romam, quae operae pretio imperii totius Italiae expugnaretur. Praeter id, quod parum momenti aut ad laudem, aut ad

praedam in direptionem Aquileiae, cedendum necessitatibus humanis illicque pugnandum, ubi ferro, virorum more, non fame ac lassitudine veluti debilibus pecudibus occumbendum. Nec in stationibus modo haec, sed passim per exercitum, ut referentium exquirentiumque sua mala turbas fortuna congregabat, cum inspecta ciconia, quae pullos suos ex arcis culmine, in quo nidum fecerat, asportabat. capiendae urbis novam spem omnibus ingessit asseverante Attila futurorum praescias aves iam iam casuram arcem relinquere. Moxque omni expugnandarum urbium apparatu murum aggressus tanto ardore obsequentes ad primum impetum milites habuit, cum ipse armis adhortationeque insignis praegrederetur, ut, quae triennio se defenderat, trium horarum spatio civitas caperetur. Direpta a militibus praeda et praeter paucas feminas beneficio formae ad libidinem reservatas in omnes saevitum propemodum rabiose propterea, quod tam obstinate se defenderant. Traduntur caesa illic supra triginta septem milia hominum et tandem urbs etiam incensa, simul ut deleteretur ignominiosum monumentum tam diuturnae obsidionis, simul ut ceteris metus incuteretur.

Fuit in civitate Dugna mulier, forma et divitiis insignis, sed pudicitiae laude in primis venerabilis, quae, ubi barbari hostis iramque et libidinem per omnia foeda et immania victoria abutentem vidit, vitam potius suo scelere, quam alieno pudicitiam amissura domesticam turrim praeterfluenti Natisoni imminentem conscendit obvolutoque capite in subiectum turri gurgitem se praecipitavit.

Perseverante vero obsidione Attila muros plerunque circuibat solus mutatis vestimentis expugnationi opportuniora designans. Itaque cum solitudo et silentium invitassent aliquando, ut muro succederet, incidit in armatos, qui longe venientem conspicati prope elapsi per cloacam sub moenibus ductam in insidiis expectabant, ignari tamen eum regem esse, sed cupiebant exquirere per tormenta ab hostium exploratore, quid consilii in exercitu quaeve capiendae urbis spes esset. Exorti igitur subito Attilam circumstant et, dum vivum capere nituntur, abstinent vulneribus. At ille, ut cui fuga interclusa defendendique se a tam multis haud magna fiducia esset, ut saltem non inultus moreretur, praerupta foveae sic occupavit, ut a tergo tutus cum adversis tantummodo rem gereret. Sed ut vidit velut parci sibi ab hoste et prope negligerentur insultari ratus timorem, magno impetu et clamore prosiliens duos obruncat illatusque in alios et via ferro patefacta suburbani cuiusdam maceriem saltu superavit praepetique deinde cursu ad suos se recepit. Fertur eos, qui capturi ipsum circumsteterant, retulisse suis, cum Attila se in vires collegit circumspectans, qua impetum faceret, apparuisse in oculis nitentis clamantisque caeleste quiddam et

scintillas igneas quam simillimas vigori, qui deorum oculis inesse creditur.

Dum oppugnaretur Aquileia. Tarvisium ac Verona¹⁰⁸ sponte imperium Hunni susceperunt: illud auctore Helinando antistite, haec Diatherico. Coeptumque est condi Utinum ab¹⁰⁹ Attila, ut, si re infecta ab Aquileia humanae necessitates discedere coegissent, eam munitionem post se relinqueret veluti liberi regressus pignus ac subsidium, si quid praeter spem sibi in Italia contigisset. Digressus inde Concordiam,¹¹⁰ cuius murum primus inscendisse creditur, mox Altinum. Patavium aliasque nominis et momenti minoris, quam plures urbes captas prope funditus delevit. Vir enim natus educa-¹¹¹ tusque in castris et campestribus assuetus munitionibus muros urbanae aedificia rebellandi animos opportunitatemque civibus suggerere arbitrabatur.

Venit ad eum post victoriam Patavinam Marullus Ca-¹¹² laber poeta eius temporis egregius compositumque in adulationem carmen recitavit. In quo ubi Attila per interpretem cognovit se deum et divina stirpe ortum vanissime praedicari, aspernatus sacrilegae adulationis impudentiam cum auctore carmen exuri iusserat, a qua severitate subinde temperavit, ne scriptores ceteri ab laudibus ipsius concelebrandis terre-
rentur.

Par specimen magni et severi animi dederat paulo ante¹¹³ ab Aquileia Concordiam petens medio ferme itinere in vico ignobili. Circulatores plerique aetate et viribus integris spe¹¹⁴ mercedis illecti per infestos enses nudi miris flexibus agilem saltationem coram ipso cum exhibuissent ceteris ludicro cum admiratione exhilaratis, Attila indigne ferens tam robusta corpora et quae omnia militiae decora implere possent, circumforaneo mendicabulo adulterari ac prostitui iuvenes ad se vocat, statimque armari facit, tum armatus ipse saltuque in equum receptus imitari se iubet, quod cum armis insueti efficere non possent, rursus provocavit sagittando. Sed cum¹¹⁵ neque arcum tendere, neque sagittas nervo applicare scirent, tam diu victu tenuissimo tradidit macerandos, quoad cibum longissimo intervallo propositum sagitta contingerent et armati in equum dextra laevaue tam facile, quam paulo ante nudi per gladios salirent. Ususque est illis postea fortissimis commilitonibus ad pleraque difficilia obeunda.

A Patavio per Venetias ducens ad laevam Vincentiam¹¹⁶ prius, tum Brixiam. Pergamum velut continuato impetu expugnavit ac diripuit; sed ab igne ubique temperatum, quamquam portae insultans, cum caperetur Brixia, vulnus accepit, cuius dolore accensum vix retinere amici, cum instituisset inclusum populum una cum aedificiis incendio delere. Sed et¹¹⁷ Vincentiae ad foveam, qua civitas ambitur, ceteris tam altitudine aquae inexplorata, quam lubrico per proclive descensu

territis haesitantibusque in margine praecipiti cursu desiliens in aquam papillis tenuis extantem ad murum evaserat recurrensque per acclivum verecundia suos adegerat, ut muro succederent tanta festinatione, dum quisque prioris tarditatis pudore primum ascendendi decus exoptat, quod plerique attrahendoque et impediendo se vicissim a clivo in profundiorē aquam delapsi simulque impliciti tenentium eluctantiumque specie submersi sunt, priusquam in civitatem transcenderetur.

Circumvastata exinde Aemilia pluribusque solo aequatis urbibus cum Ravennam obsideret, Ioannes episcopus cum universo populo candidatus ac supplex suscepto imperio, ut civitati aedificiisque parceretur, obtinuit. Victoriae tamen ingentem speciem praebuere fores urbis a victis depositae pedibusque intrantis et per adversam portam exeuntis exercitus subiectae et calatae.

Mox in eo loco castra posuit, ubi Mincius amnis Pado illabitur. Nam etsi animus ad imperii caput Romam festinabat, anxius tamen erat secum propter Alarici Gothorum regis eventum, qui captae direptaeque a se Romae haud multum supervixerat. Deliberanti igitur, suamne fortunam ad excidium urbis sequeretur, an illius fatum, devitans per Picenum in Samnium reliquamque Italiam usque ad fretum Siculum victorem exercitum prius circumduceret, accurrit Leo pontifex maximus doctrina et sanctitate insignis, qui positus pontificalibus ornamentis oratione atque habitu miserabili pacem Italiae impetravit. Ferunt Attilam dimisso a se Leone, cum interrogaretur a suis, cur hosti se tam facilem praebuisset, asseverasse visum a se iuxta illum, cum pacem peteret, humana specie augustiorem iuvenem minari sibi mortem, si paci adversaretur. Qui vero miraculum excludentes rationibus coniecturisque humanis factum expendunt, putant Attilam aut tractabili mitique naturae suae in supplices id praestitisse aut ingenio Leonis et doctrina victum. Cum ille ommissa Italia, quae sponte victoris nutum spectatura esset, subigendos Vissogothos in Gallia persuasisset, quae una gens in toto orbe Hunnici imperii aemula atque hostis esset, id utique non ambigue inter milites ioculariter iactatum: Haud immerito cecidisse Leoni in Italia, qui Lupum in Gallia reformidasset, plusque cohibendo Attilae momenti habere ferarum nomina, quam hostium armatas acies.

Interea Honoria, Valentiniani principis soror cum severe admodum a fratre ultra legitimos annos domi servaretur, per eunuchum suum clam ab Attila impetraverat, ut se in matrimonium peteret. Itaque cum firmata pace in Pannoniam retro se convertisset, legatos ad Valentinianum misit, qui suasionibus minas adiicientes concedi sibi postulata pervicere.

Habebat Attila more gentis suae plures uxores. Ceterum

priusquam legati Roma reverterentur, captus specie puellae famae ac nobilitatis inter suos eximiae, cui Hildico nomen fuisse traditur, eam quoque sibi coniugavit, haustoque immodice vino in nuptiali convivio cum supinus obdormivisset, sanguis per nares erumpens vitalium spirituum meatus interclusit subitoque extinctus est. Qua nocte Marcianus imperator Constantinopoli per somnum vidit arcum illius fractum, quo genere armorum Hunnos maxime excellere diximus. Postridie cum rex praeter consuetudinem ad diei multum ¹²⁷ conquiescere videretur, ministri id primum novi matrimonii voluptatibus tribuebant indulgebantque; qui mox in suspicionem versi intimo cubiculi penetrali reserato mortuum invenere, puellam vero sic iuxta eum iacentem, ut quae timeret dormientem excitare. Quae cum renuntiassent, planctu et ¹²⁸ lachrymis universa regia completa variaequae erant accurrentium acclamationes inter mortui regis laudes et desiderium, semitonsis deinde capitibus laniatoque more suo vultu elatum corpus. Ubi equestres ludos concelebravere, sepulturae ¹²⁹ mandarunt non sine paludamentis, phaleris signisque et aliis militaribus et imperatoriis ornamentis, quae ille vario ex hoste retulerat. Vixit annos sex et quinquaginta.

Signa vero mortis praecessere, quod revertenti ab Italica ¹³⁰ expeditione in transitu Lici amnis, qui Rhaetos dividit a Vindelicis, mulier fanatica temere in equum invecta clamavit ter: Retro. Equus quoque, quem paene in deliciis habebat, ipso ¹³¹ nuptiarum die nullo aegritudinis signo praecedente subito interiit. Et novae nuptiae cubiculum intrantis pes dexter sic limini impactus est, ut prae dolore aliquantisper assederit, auditaque est eius vox dicentis: Si tempus est, veniam. Quibus verbis mortem in dolore compellasse credidere. Sed ¹³² et caelo eius viri curam fuisse testatus est cometes, qui ante obitum ipsius ter septem noctes ad venum solis exortum apparere perseveravit. Sunt, qui scribant Attilam reversum ¹³³ ex Italia iterum contra Vissogothos arma movisse varioque proeliorum eventu bellum inter eos aliquandiu extractum, sed tandem in eisdem campis, in quibus ab Etio debellatus prius fuerat, victum fugatumque etiam postea a Vissogotho exitu, quo descriptum est supra, interiisse.

APPENDIX

QUINTIUS AEMILIANUS CIMBRIACUS.

1. Protrepticon in Attilam Callimachi.

*Ecquid sic properas foras abire,
 Levis Callimachi mei libelle?
 Anne sic totiens feras lituras,
 Duram Cimbriaci manum perosus?
 Ut vis! Te moneo canes cavere,
 Non qualem Erigone puella cernit
 Inter sidereos globos nitere,
 Spurcos, dico, libelle, paedagogos
 Et qui conveniunt senes cinaedi.
 Tu coetus iuvenum bonos frequenta, 10
 Quales Omnibonus scholas habebat,
 Praeceptor meus, Isthmiae Diones.
 Ac verum Latiae decus Camenae
 Et Crispi aemulus et Titi Sabellus
 Nunc orsus Venetum duces referre 15
 Quos et nobilitat sacer poeta,
 Horum gloria temporum, Hermolaus.
 Quodam sic licet audiente dicam
 De nugis plagiario superbo
 Et Cynthi male nomine arrogato: 20
 Haec si decapis aure non supina,
 Tum nasum et pueros salariorum
 Et ridere ciconias licebit
 Subscriptore meo tibi Hermolao.*

2. In Attilae Callimachi auscultationem ad Maximilianum,
 Federici Caesaris filium, Romanorum regem.

*Falsa est multorum querela, Maximiliane Romanorum rex, 1
 augustissime, huius aetatis homines veterum laudibus respondere
 non posse, quia natura tot iam saeculis pariendo sit effeta et si-
 dera, unde caelestes animi in terram deprimuntur, longa (ut aiunt)
 aevitate consenescant. Ad haec tantam nunc esse vitae brevitatem, 2
 ut, ab ineunte licet aetate sementem feceris, non prius tamen ad
 frugem pervenire contingat, quam praesto sit imbecillis et raro
 intellecta senectus. Atque subinde mors humanae peregrinationis,
 finis suprema. Quibus (ut mihi videtur) paucis responderi potest.
 Sopitae admodum esse credulitatis putare naturam defieri, quae*

sua ipsius virtute satis pollens per infinita saeculorum spatia deincipiti rerum generationi semper adesse potest, neque minoris modo esse potentiae, quam erat, cum nasceretur, qui veterum totiens repetitis laudibus efferuntur. Caelestes vero globos atque ignes sempiternos, quae sidera nominantur, aevo senescere puerilium prope deliramentorum est credere et nullius humanitatis praedicare.

Equidem me audisse memoria teneo, cum philosophiae vacarem, sapientiae scholis compertum esse ab luna sursum nihil corruptibile, nihil non sempiternum esse, peregrinas impressiones (sic enim dicunt) caelestia corpora non recipere, tempori non esse subiecta nulloque negotio defatigari. Quod litterarum princeps Homerus videtur non ignorasse, qui solem lumen suum ceteris etiamnum sideribus fenerantem, Ἡέλιον ἀκάρμυττα, hoc est, solem non laborantem appellavit. Nec obviam eat quispiam afferens errantem lunam solisque labores, hoc enim seorsum ab illo dicitur: Vos aeterni ignes et non violabile lumen; et Annaeus: Pacem summa tenent. Satis enim superque constat caelestia astra certis secretis interstitiis, quos Graeci planetas, nostri erroneos vocant, eodem semper decurso signorum spatio ad statum suum quodque diem redire. Quod non contineret, si quo pacto aut senescant aut virtute diminuantur astra, utroque enim modo tardiuscula fierent quotidie, non dicam posse etiam interire, quoniam senescentium finis novissima est interitus. Ceterum τὰς ἰδέας, id est, rerum species et in primis caelestium oportet esse sempiternas. Unde illud aeterna caelestibus natura. Licet Christianis persuaderi non possit mundum neque genitum neque interiturum, quem nos abhinc septem et octoginta supra bis ter centum et sex milia annorum initium habuisse fatemur et olim finem habiturum. Sed ubinam saeculorum fiet, non est hominis proferre sententiam. Caelorum tamen virtutes interea loci non fieri minores nihil a fide nostra delerat. Quare nobilissimae temeritatis est naturam omnium parentem accusare aut caelos in ius vocare, qui nullum ipsi hominibus negotium facessunt, licet nos ad actiones invitent, nulli tamen necessitudinem imponunt. Alioquin nec laudem ex ullo facto aut reprehensionem, nec praemium aut poenam reportaremus. Quod quam falsum sit, manifestius est, quam ut probari oporteat. Sed neque siderum, neque fortunae, neque fati imperio agimur. Liberi enim sumus et in nobis agendi omnis potestas. Nemo ansam captet; deum semper excipio. Sed (ut haec missa faciamus, quae maioris sunt ingenii, quam ut haec oratio sustinere possit) neque per naturam fit, neque per caelos, quominus veterum gloriam adaequare possimus.

Verum enimvero miseri mortales pravis semel cupiditatibus capti, ubi per socordiam vires, tempus, aetas, ingenium defluxit, tamen, si resipiscant sua damna pensitantes aut eos amice quispiam reprehendat, statim aut naturae infirmitatem, aut caelorum impotentiam, aut nostratis vitae compendium excusant nescientes aliter obviam ire honestae accusationi. Nec cessant plerique omnes interea fortunam convitiis proscindere, ream, agere volubilem, caecam, vagam, inconstantem, variam, indignorum fautricem, bonorum adversariam dicere, quasi huic omnia expensa, huic omnia ferantur accepta et non potius verum sit fortunam non esse. Sed in naturam potissimum invehuntur, quae (si verum fari liceat)

satis immerito accusatur. Satis enim abunde ad virtutem nobis igniculos et vivendi spatium ad gloriam suppedicaret, si tanta nobis bonarum artium cura sit, quanto studio aliena petimus et nihil ad bene beateque vivendum profutura atque utinam etiam non plurimum nocitura ac pernicioſa. Quid enim nobis ad gloriam defieri poſſet, ſi ad eam parandam tempus, diligentiam, ſtadium, induſtriam conferre vellemus, ſi virtutem amare, ſi inter nos humani eſſe, quales inter ſe fuiſſe maiores traduntur?

Etenim veteres illi clariffimi homines, quoniam virtute nihil antiquius, nihil carius, nihil honeſtius habuere, ad eam ipſam magnifice animati toto ferebantur animo. Igitur eorum alii rei publicae vacabant, alii per ſumma pericula terra marique excepta bellorum laudi ſtudebant, alii litterarum ſtudiis operam navabant, alii itidem aliis rebus, ſicuti cuiusque libido ad gloriam ferebat. Atque ſic diverſo quidem itinere, ſed ad unam tamen omnes immortalitatem contendebant. Non deerant ſua praemia virtuti: laudes et gloria et quae his minora ſunt ac circumforanea: honores, dignitates, magiſtratus, imperia. Hinc vetuſtas vel in omne tempus adoranda bonarum artium inventores, auctores, ſtudioſos deorum nomenclatura decoratos inter numina collocavit, qui mos antiquiſſimis erat referendi bene merentibus gratiam.

At noſtra aetate, quia nil divitiis habetur glorioſius, nihil voluptatibus dulcius, non dicam ignorantia, ſtoliditate, vecordia nihil eſſe ſuperbius, a pueris ſtatim plerique omnes ad plus habendi cupidinem filios erudiunt divinis eos laudibus proſequentes, ſi iam tum avariuſculi fiant totaque indole ad rem ferantur attentiores. Contra alii ſuos aut otio marceſcere, aut luxuria defluere animo ferunt indulgentiſſimo totam interim familiam exemplo nunc ad inertiam, nunc ad libidinem provocantes. Quo fit, ut adoleſcentium ingenia divinos alioquin fructus paritura perditum cant et tempus ſtudiis et gloriae debitum nunc avaritiae impendatur, nunc otio inerti abſumatur, nunc foediſſimis voluptatibus conteratur, ut non mirum ſit in tanta hominum copia tantam eſſe bonorum paucitatem. Quod ſi duce natura et imperatore vitae mortalium animo bene uteremur, veterum claritudinem cum aſſecutum, vero anteire liceret. Neque tam multae quamvis ab re in naturam quaerimoniae fierent, quae nos ad optimam mentem genuit, ut pro miraculo ſit non plures bonos, quam malos eſſe, ſi e natura, quam contra eam vivere propenſius eſt, ſicuti gravia deferri, quam ſubtolli minus laborioſum. Sed ubi nos virtutum igniculos noſtra pravitae reſtinxiſſimus, ſtatim ipſa quoque ingenia commorientur verumque fit illud ingenium eſſe omnium hominum ab labore proclive ad libidinem. Nec tamen inſitior (ne cum adverſariis in ſententiam pedibus ire videar) in tanta hominum circa virtutem et gloriam negligentia compluſculus eſſe, qui cum omni antiquitate conferri poſſint in quovis ſtudioſorum genere: adminiſtrandae rei publicae ratio, bellorum diſciplina, navigandi peritia ſimul et agricolandi, litterarum omnium ſtudia: pingendi, ſculpendi, fingendi, architectandi et aliae minores artes, quibus humana vita cum dignitate utitur, ita nunc effloreſcunt, ut vetuſtati nihil opus ſit invidere.

Et ut de multis pauca in medium proferam exemplo, cur Venetorum res publica cum Lacedaemoniis, cum Athenienſibus, cum Romanis comparari non poſſit. Imperii fortaiſſe magnitudine

superantur, atqui certe in re publica optimis institutis, sanctissimis legibus non vincuntur, de quibus hic silere, quam pauca loqui praestabit. Rei militaris disciplinae, quam plurimum veteres extulere; iam nil addi posse videtur, seu imperatorum prudentiam, magnanimitatem, industriam, seu militum numerum, fortitudinem, strenuitatem, seu oppugnandarum urbium dexteritatem, ingenia, machinamenta quaeras. Qua in re tu mihi optimus testis esse potes, Maximiliane, nostri saeculi decus et militiae clarissimum lumen, qui in ista tua, quam videmus, aetate, sicuti accepi, iam terdecies cum hoste in aciem descendisti illinc semper victoriam cum laude reportaturus, ut nihil antiquis aut bellorum gloriâ, aut felicitatem invidere debeas. Et quidem merito. Nam tu in adolescentia tua neque luxui te, neque veterno corrumpendum dedisti, quod plerique faciunt magnis in divitiis educati. Sed post egregiam litteris et moribus operam impensam, sicut decebat Romanorum futurum regem, ne dicam imperatorem, statim deinceps armorum meditationem ingressus, quasi alter Achilles, ita animum et corpus exercuisti, ut nunc scientissimi imperatoris et militis praestrenui aequae munus obire et possis et soleas dignus profecto maioribus tuis in omni saeculo clarissimis et apprime divo Federico Caesare genitore tuo, in quo etsi magna gravitas, constantia, magnitudo animi, probitas et excellens in omni genere virtus est, illud tamen maxime peculiare: Christianam religionem amare, defendere, tutari, carissimam habere et tamen bellum non suscipere, nisi iniuriis lacessitum, ut qui sciat seorsum bella geri, ut in pace vivatur, et ferre iniuriam gloriosius atque humanius esse. quam inferre, itaque plus ille sedendo, ut aiunt, quam alii belligerando verae laudis adeptus est. Sed neque illius, neque tuas laudes meminisse praesentis est orationis. Alias diximus pluribus etiam dicturi, si per te, princeps liberalissime, ad hoc honestissimum certamen invitati fuerimus. Quod non despero, si tibi in mentem veniat nihil tam necessarium hominibus ad gloriam et praesertim in excelso vitam agitantibus, quam historiae, quae res gestas memoriae et posteritati commendare possint, ne oblivione involvantur, sicuti proximis saeculis accidisse video. Quae licet claros et ipsa viros habuerit, scriptores tamen non invenere. Credo, quod eloquentes viri nullis praemiis ad scribendum provocati silere maluerunt, quam ingratis nullo operae pretio deservire. Quorum tu similis esse non debebis, qui tantam hominibus de te expectationem fecisti, et hoc praesertim aevo, in quo maxima est sicut bonorum opificum, ita bene litteratorum hominum copia.

Quo magis irridenda sit eorum querela, qui putant huius tempestatis homines veterum laudes consequi non posse. Quod non persentiscant, si nostrorum hominum ingenia, eruditionem, facundiam et summam in omni vita politiam aestimare velint. Verum, Hercule, vero hic ego quam plurimos non solum artium liberalium studiosos, sed earum etiam, quae proxime succedunt, et adhuc minorum recensere possem. Sed quia longum esset, aequo animo ferant ceteri, paucorum hic et id non in totum meminisse liceat. Igitur naturae et caelorum vituperatoribus atque criminatibus nihil nisi vetustum probantibus in pictura Squarttonis manum et Bellinorum Gentilis et Ioannis fratrum in libram damus. Aestimentur, quanti sint. In sculptura vero Antonii Crispi et Petri Lombardi, quorum opera Venetiis summa omnium admiratione

visuntur. In nostratibus vero litterarum studiis numerosa quidem 51
turba se cum antiquis in stateram dare potest et eorum, qui pro-
xime decesserunt, et eorum, qui adhuc supersunt. In quibus est 52
Hermolaus Barbarorum familiae decus et omnium litterarum
ornamentum ingens, homo acerrimi ingenii, variae eruditionis, bea-
tissimae facundiae, cuius tu, princeps illustrissime, gravitatem,
copiam, eloquentiam nuperrime demiratus es, cum pro Venetis
orator tibi gratulatum venisset.

Sed et Callimachus poeta iam inter Catullos annumerandus 53
et orator illustris et historiae scriptor politissimus mihi praeter-
eundus non fuit. In cuius Attilam haec ad te praefati sumus. Sic
enim ipse libellum suum appellat, quo historiam Attilae Hunno-
rum regis summa fide complexus est Sallustianam tum brevitatem,
tum dictionis maiestatem assecutus. De quo plura dicerem, 54
nisi scirem tibi hominis ingenium, auctoritatem, eloquentiam esse
cognitissimam. Ceterum ego illius opusculum, cum impressori- 55
bus dandum esset, de archetypo auscultavi, non quia necessum
erat, sed ut Georgio Hellechri, Fortunavoniae urbis praefecto,
viro priscae tum gravitatis, tum magnificentiae et Primovallio
Manticae iuriconsulto, tui nominis et gloriae studiosissimis obse-
querer, quibus nihil possum denegare in rem praesertim littera-
riam sic animatis, ut nunquam desint Musarum studiosis et ipsi
litteratissimi stnt.

Sed iam receptui canendum est. Satis enim pugnavimus, ne 56
dicam, diutius, quam oportuit, saltem historiae brevitatem adiu-
vantes. Et iam dudum Callimachus Cimbriaco longe politior
audiendus est.

3. Propenticon in Attilam Callimachi encomiasticos.

Attila Callimachi regem visure Quiritum,
Carpe iter et fausto limina tange pede,
Limina, quae audito venerantur Marte Sicambri,
Limina, quae assidue Belgica turba colit.
Huc veniens statim dominum miratus et aulam,
Hanc caelum, ast illum dixeris esse Iovem.
Talis utrique manet species, micat altera gemmis,
Alterius decorant aegis et hasta manus.
Hic est divini Federici filius ille,
Ingens terrarum Maximianus honos,
Cui modo Sigaei cessit diadema Quirini,
Ut consors esset Caesaris atque Iovis,
Et iam terdecies victor decessit ab hoste,
Exuvias secum captaque signa ferens.
Hoc duce Cumaei remeabit carminis aevum,
Nec minor aegiocho tum Iove Caesar erit.
Si de te quaeret: Cui haec sint carmina? quare
Huc venias? quo sis de genitore satus?,
Sum, — dices, tantum ne longa exordia sumas, —
Carmen Cimbriaci et Attila Callimachi;
Ipsae tuis de me cognosces laudibus olim
Esse quidem Hunnorum facta minora ducis.
Me legito, quotiens Geticus dabit otia Mavors,
Inter adorata pocula gratus ero.

4. Ad Lazarinum Ariminiensem Venetae militiae ductorem.*

*Quantum Callimacho debet rex Attila, per quem
 Est potis a tota posteritate legi,
 Tantum Maltestae non ultima fama Ruberti,
 Clare nepos, debet, Lazariane, tibi,
 Qui ne blatta esset, desti impressoribus illum,
 Unde etiam possit cognitus esse magis.
 Sic Geticum vates illustrat Apolline Martem,
 Sic Clarii miles explicat ora dei.
 Ergo pro meritis Daphnaei praemia rami
 Debet utrisque viris magnus uterque deus.*

5. Ad Callimachum.

*O nec Callimacho minor vetusto,
 Nec qui Tartareas secutus umbras
 Placavit cithara deos severos
 Ac taetro Eurydicem evocavit Orco;
 Sed nec Maeonio minor canente
 Captam vix Phrygiam decem per annos
 Et Laertiaden diu vagantem
 Ad Laestrygonas et malam Charybdim;
 Nec plectro inferior sacro Maronis,
 Inter qui merito potes vocari 10
 Alter Battiades sacros poetas
 Nostris doctior omnibus Catullis
 Et citra invidiam novus Philetas.
 Quando Cimbriacus tuae fidelis
 Spectator citharae venustioris 15
 Decantabitur in tuis Camenis:
 Quis totam Atropos imputat Sibyllam
 Tithonive senis dies et aevum,
 Ut me posteritas loquatur olim,
 Qui vates aliis erunt in annis, 20
 Docti Callimachi fuisse amicum.*

* Etsi in V et i (ex M deest) post Attilam sic incipit titulus carminis:
 Eiusdem ad Lazarinum Ariminensem tamen carmen Callimachi esse
 non credimus.

SCRIPTURA.

In Annotationibus Criticis, quae variantes ad scripturam attingunt, non assumpsimus. Parenthesibus () clausimus, quae scripturae in codicibus vel editionibus semper vel nonnunquam proveniunt. — Ex quibus derivata quoque oriuntur, asteriscis (*) signavimus. (Exempli gr.: felix, felicitas.)

Vocales: *ae* (e): [historiae; Achæi, aedificium, Aegæus (Aegæus), aëgis, aegritudo, aemulus, aequare,* aestimare, Annaeus, caecus, caedere,* caelum,* caerimonia, Caesar, Daphnaeus, Graeci, haec, haedinus, haesitare, Lacedaemonius, laevus, Maeonius, Maecius, paedagogus, paene, prae-, praeda, praemium, quae, quaerere, Rhaeti, saeculum, saepe, saepire, saevire, taedium — *ae* (oe): caelum* — *e* (ae): Camena, cepisse (ex capere), ceteri (caeteri) — *e* (i): valetudo — *e* (oe): Camena, cœna, cepisse (ex capere), effetus, fecundus, felix*, femina, fenerari — *i* (e): obsidio (obsedio) — *i* (y): Aemilia (Aemylia), sidereus, silva, tiro — *oe* (ae, e): amoenitas, coepisse, coetus, foedus (3. et -eris), moenia, Moesia, poena, proelium — *oe* (y): Moesia — *y* (i): Illyrieum, Phrygia, pyra, Sibylla.

Consonantes: *c* (ch): carus — *c* (qu): cum — *c* (t): audacia, Marcianus, species, suspicio (-onis). — *cc* (c): occupare — *ct* (th): auctor — *d* (t): haud — *f* (ph): fanaticus, Federicus, Filmirus, Vitulfus — *ff* (f): efflorescere — *h* (—): harundo — *l* (ll): fratruelis, palus, religio — *m* (n): complusculus, imbecillis, rumpere — *mm* (m): commodare — *n* (m): -nqu- (quicumque), aliquandiu, in primis (imprimis) — *n* (nn): Marcomani, strenuus — *pp* (p): oppidum, opportunitas* — *r* (rh): Ravenna, Romanus — *r* (rr): diripere, eripere, Turismundus — *rh* (r): Rhaeti — *rr* (r) currere — *s* (ds); aspergere — *s* (sc): saevus — *s* (x): aestimare — *ss* (s): assuescere, possessio (possessio), Vissogothi — *t* (c): Constantia, Dalmatia, infitiani, interstitium, Gothiscantia, Lutetiani, militia, mollities, nuntiare,* otium,* patientia, pretium, propitius, pudicitia, seditio,* spatium, tertius, totius, ultio, vitium — *t* (th): Antonius, Catalanicus — *t* (tt) Gothi,* litus, retulisse — *th* (t): Borysthenes, Thurismundus — *tt* (ct): blatta — *tt* (t): attrahere, Battiades, sagittare — *Reliquimus h*: ostium (hostium).

ANNOTATIONES CRITICAE.

Callimachus Experiens: Attila.

MViBe — *Tit.* Callimachus Experiens: Attila] Attila Callimachi poetae et oratoris regis Poloniae clarissimi *MVi*, P. Callimachi Etrusci Attila Hunnorum rex inelytus *B*, P. Callimachi Experiens Attila *e* — 1. agri agri *V* — domi *om.* *MV* — advectos] auctos *e* — excipit *e* — Germani *e* — Philmiro *Vi* — Ulmetigorum *Vi* — 2. Borystenis *MiB*, Borystaenis *V* — tenere *V* — tamen] causam *V* — Vuandalis *V* — 3. imperii eorum summa *Be* — Emenricum *e* — aequandum *e* — subiectisque] subactisque *e* — auspiciisque *V* Herolis *V*, Herculis *e* — Helstorumque *e* — 4. Emerri *Mi*, Emenrici *e* — eventul] adventu *Vi* — Hunnil humi *V*. — 5. vitae *e* — moribus *V* — eorum] ipsorum *e* — quarti] quanti *V* — relato *e* — deos] eos *B* — 6. relinquere *MB* — alirumnas *Be* — speciem] spem *i* — Moetidem *V* — compressa *B* — 7. mox] Hunnorum *M*, morum *V* — tam] tanta *Be* — fecundo eventul] fecunditate *e* — est *om.* *e* — 8. tantum] tantarum *VB* — et tempestates *e* — iactantia *B* — 9. galeradi *V*, galeruli *iB* — involueris *V*, involucrum *e* — perdulces *V* — irritamentisve luxuriael] inoitamentisve gulae *e* — 10. imberbes *id* — cicatri- *V* — admitendo *M*, admittende *V* — 11. inediael] mediae *e* — vell] aut *B* — 12. et solael] solae *e* — gratael] graeciae *V*, gratiae *e* — assuescentes *e* — superarunt *e* — Ingenium—intractabile *om.* *e* — sed *om.* *V* — deferrens] deserens *e* — 13. lanificii *Me* — erat et *e* — 14. Et *om.* *Be* — arcuumque] artiumque *B* — 15. tum] tamen *e* — 16. Baudeles *B* — eum] eos *e* — sequi *om.* *Be* — Moetide *V* — 17. appararet *V* — miratis *V* — suo *B* — 18. illac *V* — 19. prius tamen] tamen prius *V* — castra sunt mota *V* — protenderant *V* — 20. Moetidae *V* — duce] dictae *V* — 21. superat *V* — victoribus a re bene gesta *Be* — etiam] et *V* — Daciamque *V* — et Alanis] ac Alanis *i*, atque Alanis *e* — atque] ac *Be* — oppugnantium *e* — 22. excitatis *V* — ac] et *e* — 23. Sarol] Sato *V* — Amnio *Be* — opibus *om.* *V* — praepollentibus *e* — Emenricum *Be* — ad dominatum] adominatum *Vi* — 24. servate *V* — in eo *e* — 25. reliquis *V* — avol] aevo *V* — Hunno] Hunnis *e* — 27. Hottarem *e* — Burgundos *Be* — 28. Burgundi *Be* — movisse] novisse *V* — 29. rursus ad arma] ad arma rursus *e* — 30. vulgatum—fratre] vulgo dictum a fratre veneno *e* — regni] regem *V* — submoverat *B* — 31. electosque] victosque *e* — fusos] fessos *e* — elatus] illectus *e* — et Macedoniam] Macedoniam *V* — 32. ut cum *Be* — Vuandalis *V* — firmaret *Be* — Hellespontum] Pontum *e* — 33. ostento, quod] ostentoque *V* — caelol] colo *V* — pacatam] paratam *V* — Constantinopoli *MV* — sedem] sectem *V* — 34. appareret *V* — minus] nimis *V* — tutum fore *e* — se tutum *B* — cogitationis] cognationis *Vi* — 35. clausamque] causamque *V*, clausam *e* — tum] totum *e* — assumpsit *V* — 36. de comunil] decori *V* — 37. quod *e* — et *om.* *e* — compensatione *e* — 38. pacatal] parata *V* — sibil] secum *e* — 39. percupidus *e* — 41. Vestita

V — utebantur *V* — 42. paene] fere *e* — eum *om.* *V* — 44. sanctius sacrificio *iBe* — 45. suos *om.* *V*, suos cum *e* — 46. contenebat *V* — omissione *V* — 47. suo quemque] quocunque *e* — 48. robur] rebus *V* — 49. Sarmatarum] Saromatum *V*, Sauromatum *iBe* — 50. ac minax et] et minax ac *Be* — propter barbaram pronuntiationem *ie* — Incessu *e* — animil cum *V* — 51. inserebat] inferebat *e* — 52. a Marte se *e* — sibi destinatum *e* — et pignus] pignus *e* — 53. quam] quis *V* — Turcilingis] Turdintiis *MV*, Turclintis *i*, Turdingiis *B* — Dietinario *MViB*, Dietmaro *e* — Vittimaro *e* — 55. ac sine] et sine *e* — Theodericum *V* — etiam] praeterea *Be* — se cum] secum *V* — quorumcunque] quocunque *iBe* — aut] ac *e* — 57. illic *om.* *e* — deripuit *V* — 58. converterant] convernerant *e* — transitu *e* — silvarum *V* — eum] eam *e* — 59. patricium] pricium *corr. in* patricium *i* — 60. Lutecianil Luticiam *corr. s. m. in* Luticiani *V*, Luciani *e* — Armoriciam *corr. s. m. in* Armoriciani *V*, Armoriani *e* — Riparoli] Riparoli *corr. s. m. in* Riparii *V*, Riparioli *Be* — Meroneus *iB* — Sangibolus *corr. s. m. in* Sangibanus *V*, Sangibanus *Be* — 63. discriminis etiam *ie* — Burgundorum *e* — et] ac *i*, atque *e* — ac] et *e* — 64. Cathalaunicos *M*, Cathalamnicos *Vi*, Catalanicos *e* — 65. adesset] vidisset *e* — adverso] diverso *V* — hostem *e* — instructum *e* — 66. obstitutum *e* — 67. quam] qua *V* — ad] in *e* — 69. caedebantur] credebantur *V* — ut—esset] quod—erat *Be* — potuisset *V* — 70. rivulum] emulum *V* — inclinavit campis *B* — 72. Turismundus *V*, Turrismundus *i* — qui] quod *e* — putaret *e* — suorum *om.* *e* — inferebat *om.* *V* — 73. vero] tamen *ie* — deinde] subinde *e* — Turismundus *V*, Turrismundum *i* — 74. moniatione *V* — bello gesturus subinde *e* — transigi contingeret] transigerentur *e* — 75. impetraverat] *iBe* — admiratum] admicatum *V* — 76. nosset *i*, nosset *Be* — prosterni *Be* — 77. utcunque] utrumque *V* — seu divina *e* — torqueretur *V* — 78. Treca] Thecas *V* — sacris in] sacris *Be* — eum] cum *V* — subsequentibus *e* — pacata *e* — captis *e* — spectandum *e* — animadvertentes se *ie* — 80. iuniorem] minorem *e* — adligatum] *V* — apportabat *e* — supposuerat *V* — insignibus *e* — exanimos *V* — matri sel] matri *MV*, se matri *B* — 81. ille *V* — ac numerum] et numerum *e* — 82. etiam] et *V* — animis] ingenis *e* — eius] suis *e* — vocibus] noctibus *V* — 84. Mox *e* — in tam] vitam *V* — praemisit *V* — 85. cum *om.* *Be* — Turismundus *V*, Turrismundus *i* — cum Romanis *Be* — 86. post paulo *e* — obtrectandi *MV*, detractandi *i* — curamque materiam *B* — comperat *V* — et Rhaetos] ac Rhaetos *i* — obsessal] obscissa *V* — praedicarentur *MVB* — 87. enim] vero *Be* — in Italiam *e* — transmissa] suum missa *Be* — 88. desint *V* — 89. Cum—postea] Postea cum progredere] Attila *Be* — ad quam] iamque *e* — paratas *V* — 90. campestribus *e* — iraque] itaque *V* — 91. ubi desperatio] ut desperatio *MV* — immineret *e* — ac] et *e* — perspicui *e* — orbis *e* — victoriae *om.* *VBi* — 92. Valentiani *Vi* — perhibituras *V* — in Illyricum] ad Illyricum *e* — Parentum *Be* — Acmoniam *V* — ac diripuit] et diripuit *e* — 93. accurrentem *ViB* — 94. allapsus *MV* — quod] quam *MV* — cum eam *e* — triennio *e* — perseveravit *MB*, perseverarit *e* — 95. laborabant *V* — hos *om.* *e* — supra humanam] Hunnicam *e* — 96. nationum omnium *e* — 97. vulneribusque *i* — 98. Aquilei *V* — occubendum *V* — 99. ferentium *V* — nidum] rudum *i* — novam *om.* *Vi* — 100. Mox *e* — progredere] *Be* — 101. quod tam *om.* *V* — 102. obsedionis *V* — 103. Dugna] digna *e*

— ubi *om.* *V* — imminentem] imminentem *V* — subiectum] sub|ctum *V* — 104. invitasset *e* — in insidiis] insidiis *Vi* — 105. ut cui] cui *e* — defendique *Be* — 106. et via] ut via *e* — maceriam *Ve* — recept *V* — 107. colligit *V* — quoddam *MV* — scintillas *V* — 108. Heluiando *i*, Helniando *B*, Helmundo *e* — Diaterico *Vi*, Diamerico *e* — 109. est *om.* *V*, praeterea *e* — quid] quod *V*. — 110. creditus *e* — quam plures] complures *i* — 112. Patavianam *V*, Patavium *e* — celebrandis *Be* — 113. dederat] delerat *V* — 114. et viribus] ac viribus *iBe* — adulterati *V* — statim *e* — fecit *Vi* — posset *V* — sagittando] fatigando *V* — 115. sagittas] sagittam *Be* — quoad] quam *e* — illis] eis *e* — commilitionibus *MViB* — ad *om.* *V* — 116. Patavia *V* — Venetiam *Be* — quancquam *V* — retinuerat] itinere *V* — 117. aquae] atque *V* — per] ad *e* — ascendendi] descendendi *e* — atrahendo] que *V* — dilapsi *e* — eluctantium *V* — priusque *Vi* — 118. Rhavenam *Vi* — Ioannes] Tones *e* — 119. pedibus *e* — et per] ac per *V* — portam] partem *e* — calcare *V* — 120. Mintius *e* — imperiū] impetu *V* — 121. suae *MV* — fortuna *M* — ad *om.* *MV* — Siculum] seculum *V* — 123. natura sua *e* — 124. Gallia] Italia *e* — Hunici *V* — aemula atque] emulatque *V* — Leoni cecidisse *Be* — Attila *e* — acios *V* — 125. Valentiani *Vi* — eunuchum] eunuchum *V* — Valentianum *Vi* — adiciens *V* — pervicerat] perficere *V* — 126. uxores plures *iBe* — Romam *MVB* — fama ac nobilitate *e* — Hyldico *i* — Constantinopolis *e* — somnium *e* — 127. penetrati *om.* *e* — 128. regia] regio *V* — 129. paludimentis, phalaris signosque *V* — et imperatoriis] imperatoriisque *e* — 130. praecesserant *e* — revertentis *MViB* — Italia *V* — invecal] iniecta *B* — 131. Equus quoque] Equusque *e* — paenel] prope *Be* — nuptael] nuptie *V* — pes] per *Vi* — aliquantisper] aliqua disper *V* — 132. perseveraverit *e* — 133. fugatum *e* — etiam] et *Be*

Appendix.

1. — *MVi* — *Tit.* Protrepticon—Callimachi Cimbriaci poetae protrepticon—Callimachi *MVi* — 1. Ecquid] Et quid *V* — 8. pedegogos *V* — 11. Quales—habebat *om.* *V* — 21. Hoc *i* — 22. Tum—et] Tu nasum quod *V*

2. — *MVi* — *Tit.* In—regem] Quintius Haemilianus (Haemilianus *V*, Haemylianus *i*) Cambrius in Attilam Callimachi auscultationem ad Maximilianum divi Phederici Caesaris filium Romanorum regem augustissimum *MVi* — 1. efœta *i* — 2. intellecta] in selecta *V* — senectem *V* — 3. credulitatis] crudelitatis *V* — deincipit] de ancipiti *V* — adesse] abesse *V* — minorum *V* — nascerentur *i* — 5. philozophiae *V* — susum *i* — nihil non] nil non *V* — 6. suum *om.* *V* — sideribus *om.* *M* — fenerantem] venerantem *V* — Ἡλιον ἀξαρμαντα *MVi* — 7. asserens *V* — Amneus *V* — 8. nostro *V* — semper] se *M*, se per *V* — suum *om.* *M* — 9. contingat *i* — 11. neque genitum] denique genitum *V* — 12. natura *V* — parentem] patentem *V* — 13. aut—aut] autem—autem *V* — 14. agimus *V* — 16. maiorum *V* — 17. secordiam *Vi* — tamen] tum *i* — 18. adversaria indicere *V* — 19. aliena *om.* *V* — 21. carius] clarius *V* — 26. marcessere *V* — interi *V* — 27. ut adolescentium] adolescentium *V* — aliquin *V* — 28. assequitum *i* — 29. queremoniae *V*, quaeremoniae *i* — sil sic *V* — vivere *om.* *V* — 32. pingendi] pependi *V* — scalpendi *V* — ut] et *V* — nihi *V* — 35. quam] quasi *V*, quam se *i* — oppungnandarum *V* — 39. Phederico *i* — 40. seorsum] eorsum *i*

— 41. orationis] ουσσ *MV* — 44. invenire *V* — 46. de te hominibus *i* — 47. veteres *V* — 49. vituperonibus *i* — nisi *om. V* — vetustum] venustum *M* — 50. Aestiment *i* — Anthonii *V* — 52. cum] quin *V* — 53. Cattuulos *V* — politissimus] potissimus *V* — Salustianam *MVi* — tum—tum] tam—tam *V* — 55. Manticæ] Mantuae *V* — studiosissimis] studios civis *V* — sic] sat *V*

3. — *MVi* — *Tit.* in—encomiasticos] Cimbiraci poetae pro-penticon (pro pentichon *V*) in—encomiasticos *MVi* — 5. statim (*sic*) — 10. terrae Maximilianus *V* — 11. Sigei *M*, Sigari *V* — 17. Si] Sic *V* — 18. genitore] penitore *V*

4. — *Vi* — *Tit.* Ad—ductorem] Eiusdem ad—ductorem clarissimum *Vi* — 3. Malatestae *MVi*, *corr. radendo in* Maltestae *i* — 5. destil dedisti *MVi*, dedisti *corr. in* desti *i* — 7. Appolline *corr. in* Apolline *i* — 8. ore *V*, *corr. in* ora *i* — 9. rani *V*

5. — *MVi* — *Tit.* Cimbriacus poeta ad Callimachum *MVi* — 3. placuit *V* — 4. taetro] retro *V* — revocavit *MVi*, *corr. radendo in* evocavit *i* — 5. canentel] tonante *Mi*, tanante *V* — 11. Batiades *MVi* — 12. doctor *V* — 13. citral] circa *V* — Phileta *Vi* — 17. imputat] implicat *M*

INDEX NOMINUM.

Numeri currentes (1—5.) ad Appendicem pertinent — t.: titulus

- Achaei* 31.
Achilles 2, 39.
Aegaeum mare 31.
Aemilia 118.
Aemonia 92.
Aetius, v. *Etius*.
Alani 21, 60.
Alaricus 120.
Alexander Magnus 3.
Altinum 110.
Amalus, *Emericus*, v. *Emericus Amalus*.
Annius 23.
Apollo (v. *Clarius deus*, *Cynthius*) 4, 7.
Aquileia 94, 98, 108—09.
Armoriciani 60.
Asia 6, 32—33.
Athenienses 2, 33.
Attila, rex *Hunorum* 5, 27, 29 (bis), 30—31, 52 (bis), 54, 59, 61, 63, 65, 69, 71—72, 74, 81, 85, 89, 91, 99, 104—05, 107, 109, 112, 114, 122—26, 133, 2, 53, 4, 1.
Attila, opus *Callimachi Experientis* 1. t. 2, t. 3. t. 1, 20.
Barbarus, *Hermolaus* 1, 17, 24. 2, 52.
Battiades 5, 11.
Baudetes 16, 18, 20.
Belgica turba 3, 4.
Belgradum 92.
Bellinus, *Gentilis* 2, 49. — *Ioannes* 2, 49.
Bergamum, v. *Pergamum*.
Berith 1 (bis).
Bices palus 2, 4, 52.
Bleda 27, 29—31, 88.
Borysthenes 2.
Brictones 60.
Brixia 116 (bis).
Burgundii 27—28, 63.
Callimachus Experiens 1, t. 2. 2, 53, 56. 3, t. 1, 20. 4, 1. 5, t. 1, 21.
Camena Latia 1, 13.
Camenae (v. *Musae*) 5, 16.
Carni 94.
Catalaunici campi 64.
Catulli 2, 53. 5, 11.
Charybdis 5, 8.
Christiana mysteria 28. — religio 2, 40.
Christiani 2, 11.
Cimbricus, *Quintius Aemilianus* 1, 4. 2, 56. 3, 20. 5, 14.
Clarius deus (v. *Apollo*, *Cynthius*) 4, 8.
Concordia 110, 113.
Constantinopolis 33, 126.
Crispus, *Antonius* 2, 50.
Cymaeum carmen 3, 15.
Cynthius (v. *Apollo*, *Clarius deus*) 1, 20.
Dacia 21. 30—31.
Dalmatia 92.
Danubius 57.
Daphneus ramus 4, 9.
Diathericus 108.
Diectimarus 53.
Dione Isthmia 1, 12.
Dugna 103.
Ἡέλιος 6.
Emericus (*Ermanericus*) *Amalus* 3—4, 23, 25.
Emona, v. *Aemonia*.
Erigone 1, 6.
Ermanericus Amalus, v. *Emericus Amalus*.
Etius (*Aetius*) 59, 61, 63 66, 69, 73, 86, 133.
Europa 5, 20, 38.
Eurydice 5, 4.
Euxinus, *Pontus* 2, 4.
Fauni 6.
Federicus III. *Caesar* 2, t. 39. 3, 9, 12, 16.
Filmirus 1, 6.
Forum Iulii 94.
Franci 60.
Galli 63.
Gallia 31, 38, 55, 58—59, 74, 86—88, 93, 124 (bis).
Galliae 56, 86.
Gallicae nationes 59.
Gepidae 21, 29, 53.
Germania 57.
Germanicus Oceanus 1.
Geticus Mars et Mavors 3, 23. 4, 7.
Glacialis Oceanus 3.
Gothi 1, 4, 6, 22—26, 38, 52, 120.

- Gothiscantia* 1.
Graeci 2, 8.
Gundicarius 63.
Hardericus 53.
Helinandus 108.
Hellecher, Georgius 2, 55.
Hellespontus 32.
Herculi 3, 53.
Hesti 3.
Hildico 126.
Hoctar 27, 29 (bis).
Homerus (v. Maeonius [sc. vates]) 2, 6.
Honorio 125.
Hunni 4, 6, 25, 27, 30, 52, 69, 108, 126.
 2, 53, 3, 22.
Hunnicum imperium 124. |
Hunnus 23, 25, 28, 32, 73.
Iadra 92.
Idantirsus 6.
Ioannes episcopus 118.
Isthmia Dione 1, 12.
Itali 89.
Italia 38, 86—87, 91—92, 94, 97, 109.
 121 (bis), 124 (bis), 133.
Italica expeditio 130.
Iuppiter 12, 3, 6, 12, 16.
Lacedaemonii 2, 33.
Laertiades (Ulixes) 5, 7.
Laestrygones 5, 8.
Lambriones 60.
Latia Camena 1, 13.
Lazarianus nepos 4, 4.
Lazarinus Ariminensis 4, t.
Leo papa 121—24.
Licus amnis 130.
Livius. T. 1, 14.
Lombardus, Petrus 2, 50.
Lucanus, M. Annaeus 2, 7.
Lupus episcopus 78—79, 124.
Lutetiani 60.
Macedonia 31.
Maeonius (sc. vates; v. *Homerus*) 5, 5.
Maltesta (Malatesta), Rubertus 4, 1.
Mantica 2, 55. |
Marcianus imperator 32, 33 (bis), 126.
Marcomani 2, 53.
Mars (v. *Mavors*) 12, 51—52, 74. 3. 3.
 4, 7.
Marullus Calaber 112.
Mauriaci campi 64.
Mavors (v. *Mars*) 3, 23.
Maximilianus (Maximianus), Romano-
 rum rex 2, t, 1, 36. 3, 10.
Mazuchus 26—27.
Mercurius 12.
Meroveus 60.
Mincius amnis 120.
Moesia 21, 30—31.
Mundruth 26.
Musae (v. *Camenae*) 2, 55.
Natiso flumen 103.
Norici 86, 91. |
Oceanus Germanicus 1. — *Glacialis* 3.
Omnibonus, Leonicensus 1, 11.
Orcus 5, 4.
Ostrogothi 2, 53.
Padus 120.
Pannonia 31, 33, 38, 85, 125.
Parentium 92.
Pataviana victoria 112.
Patavium 110, 116.
Pergamum (Bergamum) 116.
Persae 32.
Philetas 5, 13.
Phrygia 5, 6.
Picenum 121.
Pola 92.
Pontus Euxinus 2, 4.
Portunavonia urbs 2, 53.
Primovallius 2, 55.
Quirinus Sicamber 3, 11.
Quirites 3, 1.
Ravenna 118.
Rhaeti 86, 91, 130.
Rhenus 57, 63.
Riparoli 60.
Roma 55, 97, 120 (bis), 126.
Romani 55, 61, 63, 73, 85, 93, 2, t, 1.
 33, 38. |
Romanus 87. — *imperator* 30.
Roxolani 3.
Rugii 53.
Rugila 27, 29 (bis).
Sabellus 1, 14.
Sallustiana brevitatis 2, 53.
Sallustius Crispus, C. 1. 14.
Sammium 121.
Sangibalus 60.
Sarmatae 20—21, 49.
Sarmatia 24.
Sarmaticae nationes 29.
Sarus 23.
Satyri 6.
Saxones 60.
Scythia 52.
Scythae 6 (bis), 12, 15.
Scythica nomina 13.
Segna 92.
Sibinicum 92.
Sibylla 5, 17.
Sicambri 3, 3.
Siculum fretum 121.
Sigaues Quirinus 3, 11.
Squartio 2, 49.
Suevi 53.
Tanais 20.
Tartareae umbrae 5, 2.
Tarvisium 108. |
Tergestinus sinus 93. |
Theodoricus 55—56, 63 (bis), 69, 72.
Thracia 31.
Thurismundus 72—73, 85.

- Tithonus* 5, 18.
Tragurium 92.
Trecae 78.
Tungri 75, 78.
Turcilingi 53.
Ulixes, v. *Laertiades*.
Ulmerigi 1.
Utinum 109.
Vandali 2, 32.
Valamirus 53, 73.
Valens 30.
Valentinianus Augustus 55, 59, 92,
 125 (bis).
Velamber 18, 26.
- Veneta* militia 4, t. 1
Veneti 3. 1, 15. 2, 33, 52.
Venetiae 116. 2, 50.
Venus 12.
Vergilius, Maro, P. 5, 9.
Verona 108.
Victimarus 53.
Vincentia 116—17.
Vindelici 130.
Vinitarius 25.
Vissogothi 2, 30—31, 55, 63, 73, 87 (bis),
 124, 133.
Vissogothus 61, 133.
Vitulfus 25.
-

CORRIGENDA.

- p. III. v. 8. pro* sequebantur *lege* sequebatur
p. III. v. inf. 16. pro unamista *lege* umanista
p. III. v. inf. 9. pro 1912. *lege* 1922.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ.

SAECULA XII—XIII.

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 5,40

SAECULA XIV—XV.

Barbarus, Candianus — *Barbara*, Constantia, nata Memo — *Barbarus* Maior, Zacharias. Testamenta ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)
Trevisanus Maior, Zacharias. Orationes et testamentum edd. Bertalot — Gothein. 1933. (Excuditur.)

SAECULUM XV.

- Barbarus*, Franciscus, Epistolae ed. Gothein. 1934. (Apparebit.)
— Orationes, Accedunt orationes Gasparini Barzizii et Matthaei Bissarii et Ambrosii de Advocatis et Tobiae Burgi et Iohannis Spilimbergensis ad Franciscum Barbarum habitae ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)
- Barius* Nicolaus — *Kostolan*, Georgius Polycarpus de — *Hungarus*, Simon — *Zagabriensis*, Georgius Augustinus, Reliquiae ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,50
- Callimachus* Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia ed. Kardos. 1932. — — RM. 1,70
- Martius*, Galeottus, Carmina ed. Juhász. 1932. — — RM. 1,80
— De dietis ac factis regis Mathiae ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)
— Epistolae ed. Juhász. 1930. — — — — — RM. 1,—
— Invectivae in Franciscum Philelphum ed. Juhász. 1932. — RM. 2,50
- Pannonius*, Ianus, Opera ed. Huszti. 1933. (Apparebit.)
- Philelphus*, Franciscus, Sphortias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)
- Ransanus*, Petrus, Epitoma rerum Hungararum ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)
- Seneca*, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum ed. Fögel. 1932. — RM. 3,60
- Valagussa*, Georgius, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Vitez* de Zredna, Iohannes, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
— Orationes ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)

SAECULA XV—XVI.

- Celtis*, Protucius, Conradus, Amorum libri IV. ed. Pindter. 1933. (Excuditur.)
— Ludus Dianae — Rhapsodia ed. Rupprich. 1933. (Excuditur.)
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus ed. Rupprich. 1932. — RM. 1,30
- Fontius*, Bartholomaeus, Carmina edd. Fögel—Juhász. 1932. — RM. 2,—
— Epistolarum libri III. ed. Juhász. 1931. — — — — — RM. 4,50
- Piso*, Iacobus, Opera ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Verinus*, Ugolinus, Carlias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Apparebit.)
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracena Baetidos gloriosa expugnatione edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)